

ECLOGA III

si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.

M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera 25
iuncta fuit? non tu in triuiis, indocte, solebas
stridenti miserum stipula disperdere carmen?

D. Vis ergo inter nos quid possit uterque uicissim
experiamur? ego hanc uitulam (ne forte recuses,
bis uenit ad mulctram, binos alit ubere fetus) 30
depono; tu dic mecum quo pignore certes.

M. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca,
bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
uerum, id quod multo tute ipse fatebere maius 35

(insanire libet quoniam tibi), pocula ponam
fagina, caelatum diuini opus Alcimedontis,
lenta quibus torno facili superaddita uitis
diffusos hedera uestit pallente corymbos.

in medio duo signa, Conon et—quis fuit alter, 40
descripsit radio totum qui gentibus orbem,
tempora quae messor, quae curuus arator haberet?
necdum illis labra admoui, sed condita seruo.

D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit
et molli circum est ansas amplexus acantho, 45
Orpheaque in medio posuit siluasque sequentis;
necdum illis labra admoui, sed condita seruo.
si ad uitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.

M. Numquam hodie effugies; ueniam quocumque uocaris.
audiat haec tantum—uel qui uenit ecce Palaemon. 50
efficiam posthac ne quemquam uoce laccessas.

D. Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla,
nec quemquam fugio: tantum, uicine Palaemon,
sensibus haec imis (res est non parua) reponas.